



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 19. Quam potestatem habeant Ecclesia & Principes Catholici circa infideles.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Ratio autem est , quia certum est omne peccatum debere esse voluntarium , ergo cum infidelitas negativa nullum habeat adjunctum actum voluntatis, qui intendat vel negligat eam removere , certum est non esse peccatum. Quæ contra objici possent , abundè soluta sunt l. 1. à n. 720. & 727.

77 *Q. 19. Quam potestatem habeant Ecclesia & Principes Catholici circa Infideles. R. §. 1.* Ecclesia secundum Cap: *Gaudeamus*, de divortis , non habet directam potestatem in Infideles non baptizatos, nam Christus dedit Petro potestatem tantum in Oves ingressas ovile, ideoque etiam *Trid. s. 14. c. 2.* dicit Ecclesiam non posse in illos exercere Judicium, secundum illud *1. ad Cor. 2. quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* & consequenter nec poterit eos punire. *Si Dicas*, posse defendi jus innocentis & vindicari injuriam ipsi factam, ergo etiam posse Ecclesiam defendere jus, quod habet Deus, ne offendatur, & vindicare injuriam per peccatum factam. *R.* Tum tantum potest defendi jus & vindicari injuria innocentis, quando innocens hoc vult, vel saltem permittit; Deus autem potens ipsemet defendere & vindicare, id non permittit hominibus passim, ne dentur occasiones perpetuorum bellorum & confusio-
num.

78 *§. 2.* Omnes baptizati possunt etiam per poenas adigi ad fidem catholicam profitendam, sunt enim subditi Ecclesie, maximè quoad ea, quæ salutem spectant. *Nec obstat*, quòd fortè nunquam crediderint, nam re ipsa per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, & subjecerunt se ejus potestati ac legibus. Econtra non baptizati, nec subjecti

Prin-

Principibus fidelibus, non possunt cogi ad fidem, quòd enim *Christus* Luc. 14. voluerit invitatos compelli intrare, explicat *S. August.* de hæreticis, in quos jurisdictionem habet Ecclesia.

§. 3. Cogi possunt non baptizati, ut ne impediant prædicationem fidei, ad quam per universum mundum prædicandam jus à Christo accepit Ecclesia *Math. & Marc.* ult. Probabilius quòque est cum *Suar. Hurt. Arr. Lug.* d. 9. n. 54. *Heri:* d. 9. q. 4. posse non baptizatos, v. g. Judæos à Principe fideli cogi ad audiendam prædicationem fidei Christianæ, sic enim coguntur Romæ per *Constit: 9: Greg. XIII. Sancta Mater Ecclesia.* Ratio est, quia Princeps potest mandare ea, quæ sunt licita & honesta, ac conducunt ad politicam gubernationem, seu ad concordiam & pacem communem, quale quid est communis professio ejusdem veræ Religionis: Unde & poterit Princeps prohibere eis omne exercitium falsæ Religionis. An autem possit directè cogere ad fidem, dubium est, negant *S. Thom.* q. 10. a. 8. & 12. *Suar.* d. 18. f. 3. *Castrop.* d. 2. p. 6. Alique communiùs, maximè cum sit contra usum Ecclesiæ, & id prohibeatur expressè, saltem de Judæis. Affirmant tamen non improbabiliter saltem de aliis Infidelibus *Scotus & Scotista* cum *Herrin:* n. 46., quia Princeps potest adigere subditos ad ea servanda, ad quæ Jure divino & naturæ tenentur, sed jure divino & naturæ tenentur acceptare veram fidem, ergo.

§. 4. Potest, imò tenetur Princeps omnes subditos etiam non baptizatos cogere, ut relinquunt errores & vitia, quæ sunt contra naturam, uti sunt

sunt Idololatria, blasphemia &c.; prius illa prohibendo per leges, & postea puniendo transgressores: Ratio est, quia tenetur subditos dirigere ad finem gubernationis naturalis, qui est vivere secundum rectam rationem, contra quam sunt tales errores & vitia, quæ præterea maximè dehonestant Remp., uti pluribus *Lugo*. n. 116. & *Herin*. q. 5., Si tamen illi infideles non sint subditi, communis est sententia non posse cogi, quia in illos nullam habent jurisdictionem, neque Ecclesia neque Principes Catholici; poterunt tamen etiam armis impediri à peccatis, quæ sunt nociva innocentibus, saltem si hi permittant: Item quæ sunt injuriosa Religioni, quia defensio innocentum & fidei est illis licita, uti rectè cum aliis *Herinx* suprà.

§. 5. Principes Infideles non baptizati non possunt privari Jurisdictione in eos, qui fideles sunt, aut se ad fidem convertunt, Ecclesia tamen prohibet, ne Princeps Christianus Infidelem præficiat Infidelibus cap. *cum sit nimis*, de Judæis & Saracenis: Posse autem Infidelem privari dominio proprietatis in fideles veluti servos, idque ob honorem fidei, quamvis abesset periculum perversionis, docent *S. Thom.* a. 10. *Bann. Lorc.* & Alii, negant *Nav. Covarr. Suar.* & Alii communiter, nullibi enim legitur hanc potestatem esse Ecclesiæ concessam: possent tamen Fideles, si eorum fides periclitaretur, aut si in exercitiis fidei paterentur injuriam, excutere tale servitium, imò jus positivum suprà privat infidelem subiectum Christiano Principi dominio servi, hoc ipso quòd hic fiat Christianus, quæ omnia pluribus deducunt *Lugo* & *Herinx* q. 6.

DU.